1) Ewald 1.—
2) [illegible] 1.—
3) [illegible] —.80
2.80
[illegible] .60
[illegible]

DE LITERATURA DEPERDITA HEBRÆORUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ORDINIS AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXX. MENS. JANUARII A. MDCCCXXXVI.
H. XII.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HIRSCH HIRSCHFELD
INOVRACLAVIENSIS.

OPPONENTIBUS:

I. HEIMANN, DR. PHILOS.
L. HERZFELD, CAND. PHILOS.
M. LANDSBERG, CAND. PHILOS.

BEROLINI,
TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Monumenta literarum Hebraeorum, quae adhuc exstant, in hac re potissimum, quod ad formam attinet, differunt a monumentis literarum aliarum gentium, quod in unum volumen collecta nobis a veteribus tradita sunt. Quae collectio librorum utrum datâ opera constituta sit a viris eruditis, ita ut non omnes libri reciperentur, an omnes casu quodam reservati libri in illam collectionem recepti sint, hanc quaestionem in medio hic relinquamus. Hoc vero constat, non omnes, qui olim scripti erant libri, nobis servatos esse. In ipsis enim libris reservatis Hebraeorum scripta commemorantur modo obiter modo de industria, quae nunc non habemus. Libri quoque ipsi servati agunt nonnisi de antiquissimo tempore usque ad Artaxerxis mortem, quod Josephus jam adnotat. Quae postea gesta sunt nusquam inveniuntur in his libris. In quibusdam tamen libris ea consignata fuisse scimus; partim enim versiones quasdam horum librorum adhuc habemus, partim nomina nonnulla commemorantur in diversis aliis libris. De his igitur omnibus libris, qui interierint, disserere operae pretium nobis visum est. Atque sic in hoc libello pro virili parte omnes libros illos commemorabimus. Statum etiam et conditionem horum librorum quoad licet describere et causas interitus eorum investigare et exponere studebimus. Sed quoniam varia Israelitarum fortuna maximam vim in eorum literaturam exercuit, in recensendis libris Hebraeorum deperditis ducem sequemur ipsam populi historiam.

Itaque hanc nostram dissertationem in quinque partes dividemus, quarum prima recensebit opera deperdita temporis inde a prima populi origine usque ad Josuae mortem, altera, quae Judicum aetate scripta sunt,

tertia, quae temporis spatio inde a Samuele usque ad exilium, quarta, quae inde usque ad tempora Maccabaeorum, denique quinta exponet de iis, quae aetate inde a Maccabaeis usque ad interitum populi edita sunt.

I.

Ut primam originem populi Hebraici in Aegypto offendimus, sic etiam initia literarum ipsius et institutis Aegyptiorum et moribus tribuenda sunt. Servitus enim illa in Aegypto, quae singulos, majorum religione jam olim distinctos, tunc conciliavit, prolem certe omni proprio abstinuit cultu; pauci igitur illi, qui fortuna mitiore molestissimis liberati erant laboribus, certe literis Aegyptiorum delectati sunt et artibus. Moyses ipse etiam primo literis creditur [1]) initiatus sacerdotum, deinde modo, cum terram quaerere alienam coactus esset, ibique diu moratus, et ceterorum videtur operam adhibuisse scientiis. Sed quamquam Aegyptii hac tempestate, vel diu etiam postea [2]), hieroglyphicis usi erant signis, et literarum cognitionem sacerdotali concesserant ordini [3]), Hebraeos tamen constat liberiorem literarum usum vel a Moyse vel ab aliis introductarum cognitum habuisse. Sic etiam legimus [4]) „leges esse inscribendas clare bene," quod de hieroglyphicis signis nullo modo dici poterat.

Thecam vero, inter alias institutiones, legimus [5]) Moysen constituisse, more Aegyptiorum, in templo, in qua Levitas jusserit librum ponere legum. Qui tamen liber nequaquam noster pentateuchus erat, ea forma, qua nunc gaudet, cum insertae historiarum partes. quae nostro insunt, in eo non videantur fuisse. Thora enim, quod huic tribuitur libro nomen, modo leges et constitutiones docendas significat, de quo dicitur [6]), „verba ejus non sunt negligenda, et [7]) quem deus man-

1) Philonis vit. Moys. I. — 2) Diod. Sic. V. 74. — 3) Clem. Alex. Strom. V. VI. Diod. Sic. 1, 81. — 4) Deut. 27, 8. — 5) Deut. 31, 25. — 6) Deut. 31, 12. 17, 19. 27, 26. — 7) Neem. 8, 1—13, 1. Jos. 8, 35.

davit;" quod non de historia dici potest, quae tradenda, non autem mandanda est. In omnibus etiam locis, quibus hic citatur liber, de legibus semper sermo est cf. Jos. 8, 31. 2 Chronic. 25, 4. 2 Reg. 14, 16 etc. Sic et festo Sucoth praelegi [1], et in lapidibus exarari [2]) est jussus. Quod de nostro pentateucho nullo potest modo dici, nec etiam de legibus omnibus. Nomen quidem תורה posthac nostro quoque datum pentateucho; sed propterea modo, quod leges maximam partem continere, et ipse ad usum docendi confectus visus est. Quare vel Psalmi, ut partes legislationis, ab Apostolo[3]) νόμος appellantur. Ante Maccab. tempora autem hoc nomen illi tantum collectioni proprium videtur fuisse.

His legibus adjectae erant benedictiones et maledictiones, ad foedus ineundum, ut invenimus [4]), et legit omnia mandata et benedictiones et exsecrationes, ut in libro legum scriptum est.

Aliam etiam vetustiorem invenimus legum compositionem in Mara. Quas enim ibidem deus dicitur [5]) ei dedisse leges, in libro foederis Moyses redegit in unum [6]). Quamobrem in decalogo altero eis alluditur[7]), ut Jarchi l. l. id adnotat. Aliis vero deinde promulgatis legibus, Moyses ante mortem librum confecit, quo omnia colligerentur mandata; quem, ut vidimus, in templo posuit et Levitis dedit coram populo recitandum.

Sensus harum legum, aut [8]) a Moyse ipso aut ab alio quodam ex his libris sumtus in nostro pentateucho nobis servatus est. Ex una enim ad plures concludendum est. Deus scilicet narratur [9]), cum atrox bellum contra Amalecitas esset gestum, dixisse Moysi: „scribe id ad odium servandum in hunc librum et trade

---

1) Deut. 31, 11. — 2) Deut. 27, 3. — 3) Johann. 10, 35. cf. 12, 34. — 4) Jos. 8, 34. — 5) Exod. 15, 24. — 6) Exod. 24, 4. cf. 34, 27. הדברים האלה ad priora referenda. — 7) Deut. 5, 16. — 8) Quamquam enim equidem traditioni fidem esse adhibendam multis argumentis censeo, hic tamen tantum discrimen dijudicare non ausim. — 9) Exod. 17, 14.

Josuae" [1]). Pro Josua igitur hoc bellum consignatum erat in noto quodam libro, [בספר cum articulo] ut videtur, in libro legum, cum nullius nisi hujusce nobis mentio ulla occurrat. Cum autem auctor pentateuchi mandatum pro Josua scriptum recipere dubitasset, sensum [2]) tantum hujusce legis in Deuter. pro populo adhibuit, ut pace parta et otio quieto diligenter hoc bellum persequerentur. Quare l. l. Deut. 25, 17. זכור adest, cum illud bellum Exod 17, 14. לזכרון consignari jussum esset. — Sic etiam stylus ipse hujusce libri legum, cum leges in lapidibus insculpendae essent, nequaquam videtur explanatoriis ambagibus et repetitionibus laborasse, sed potius tali gavisus esse brevitate, quam nusquam in pentateucho invenimus. In quo multae obviae sunt repetitiones et explicationes, ut videtur, obscurorum locorum libri hujusce legum.

Praeter leges, archiva quaedam jam tunc temtemporis habebantur. Nam et numerus tribuum et nomina virorum multorum, quod, nisi genealogiis, fieri non poterat, exacte nobis memorantur. Quin etiam ante Moysen genealogias exstitisse ex multis locis constat [3]). His autem genealogiis et narratiunculas quasdam infuisse suspicandum est. Nomen enim solum nullo potest modo memoriam rerum gestarum et viri dignitatem reservare. Ita etiam in multis adhuc et vitae spatium legimus, et virorum incognitorum nonnulla facta memorabilia genealogiis adhuc adjecta invenimus [4]). Genealogiae igitur illae nonnullas jam continuisse videntur historicas notitias, et sic jam quodam modo annales erant.

In his archivis, si non in legibus, ut mandata cujusvis itineris, mansiones etiam, quas Moyses jussu dei consignasse traditur [5]), videntur fuisse. Itemque de libro bellorum Jehovae, qui citatur [6]), dubitandum est, utrum in legibus an in archivis fuerit.

1) Opitius in suis dissert. de libris apparenter deperdit. non recte hunc interpretatus est locum. — 2) Deut. 25, 17. — 3) Genes. 5, 1. etc. — 4) 1 Chron. 4, 10. 13, 41. etc. — 5) Numer. 33, 2. — 6) Numer. 21, 14.

Separatum enim fuisse librum, haud exspectandum est; contra vero ad archiva vel ad leges bene quadrat. Bellum enim contra septem gentes, inter quas et Emoritae erant, mandatum a deo est, idcirco etiam tale bellum jussum a deo bellum Jehovae potuit nominari. Cum autem Judaei vetiti essent[1]) contra Moabitas et Amonitas dimicare, et revera occupata hoc in bello terrae pars, Jephta duce[2]), causa fuisset belli atrocis, ad justificandam hanc occupationem usque ad flumen Arnon lex vel descriptio e libro quodam citatur, qua demonstretur tunc temporis hanc regionem non Moabitis propriam fuisse, sed ab Emoritis obtentam et possessam. Atque jure Israelitae hanc vel jussi occupavere terram, vel occupatam, ut Emoritarum possessionem obtinuerunt. Quoniam autem haec lex vel descriptio de hoc agebat bello, mosque etiam erat saepe pauca tantum verba ספר, libellum nominandi, ut e. c. epistola sejunctionis liber nominatur[3]), recte illa sic liber bellorum Jehovae hic nominatur. Stylus vero versus ex eodem citati ita brevis et ita exactus est, ut fere poëticus appareat et sublimis. Magna enim vis magnaque inest paucis illis verbis obscuritas, ac possumus e paucis his concludere in ceteros libros hujusce aetatis.

Populum deinde videmus, finito in deserto tempore, terram occupare sanctam. Pauci adhuc erant, qui literis initiati fuerant Aegyptiacis. Initio igitur omnia instituta, sicuti Moyses mandaverat, facta videmus. „Populus enim obsecutus est, diebus Josuae, Jehovae“ [4]) et legibus divinis magna adhibita est cura. Sic legimus festum Sucoth [5]) inde ex diebus Josuae non celebratum fuisse, eo duce autem esse celebratum. Quo festo cum mandatum esset[6]), ut liber legum post septem annos praelegeretur, et occupatio terrae per VII annos [7]) potissimum continuaretur, necesse est putare, festum Sucoth idem esse, quod Josua celebrasse dici-

---

1) Deut. 2, 9, 19. — 2) Judic. 11. — 3) Deut. 24, 1. Jes. 50, 1. — 4) Josua 24, 31. — 5) Neem. 8, 7. — 6) Deut 31, 10. sq. — 7) Jos. 14, 10, 7. Thalm. Tract. Chulin 17, 1

tur [1]; quo librum legum legebat. Atque eodem omnia mandata Josua fecit; nam et altare construxit [2], et benedictiones praelegi jussit, et quas Moyses imperavit, Josua saxis insculpsit leges. Pro באר היטב tamen, qua ratione scribi mandatum, Deut. 27, 8., משנה תורה scripsisse dicitur Jos. 8, 32. Quae verba, ut LXX, Deuteronomium veteres commentatores interpretantur. Sed nullo modo h o c saxis insculpsit. Nam primum jam supra demonstravimus, v e r b a T h o r a, דברי התורה, collectionem solam legum fuisse; ideo etiam alio nomine ac Mischne Thora, quod rex sibi scribere jussus est [3], appellatur דברים *verba*; quae cum Moyses scribere imperasset [4], nequaquam verisimile est, Josuam Deuteron. lapidibus exarasse. Deinde etiam Deuter., cum magnitudine ipsa, tum propter crebras repetitiones, haud accommodatum est ad insculpendum lapidibus. Itaque censendum est, sensum modo legum, ut jussum est, qui in libro legum fuit, lapidibus insculptum esse; ita etiam Chaldaeus vertit verbum illud משנה „d e s c r i p t i o“ פתשגן. Recentiore demum aetate nomen M i s c h n e nostro Deuter. impositum est.

Ante mortem Josua ipse divinis n o n n u l l a addidit legibus. Sic enim legitur [5] „et dedit populo leges.“ In sq. vero versu dicitur haec omnia [quae ad priora referenda sunt] Josua in librum legum scripsisse. Historiam suam in eodem consignasse eum, haud exspectandum est. Foedus igitur, quod cum populo inierat, [hoc enim in priore versu narratur], descripsit in libro. Hoc foedus autem, quod de obedientia omnium legum factum et in libro consignatum erat, leges omnes, quas promulgavit, etiam ibidem fuisse demonstrat. Ridiculum enim esset propositum consilium de obediendis legibus inscribere, leges autem ipsas omittere. Itaque sine errore possumus judicare Josuam novas leges et institutiones veteribus adjecisse, et in libro legum designasse. Qui liber nunc non

---

1) Jos. 8, 34. — 2) Jos. 8, 31. Deut. 27, 5. — 3) Deut. 17, 18. — 4) Deut. 27, 8. — 5) Jos. 24, 26.

amplius liber legis Moysis, sed potius legum Elohim liber appellatur [1]).

Etiam descriptionem terrae invenimus [2]) tunc a viris confectam, quos Josua miserat, qui occupatam terram designarent. Quae descriptio videtur archivis adposita esse. Ita enim solum factum est, ut nomina multarum illarum urbium et distributiones nostram memoriam attingerent. Quamobrem etiam traditio [3]) nuncupat Josuam auctorem memoriae suarum rerum gestarum. Quae enim Josua duce consignata in annalibus, ad verbum descripta et explanata sunt [4]) in libro Josuae.

Rudimenta igitur et origo literaturae hebraicae in legibus nobis occurrit, et in archivis deperditis, quae brevi quodam stylo dictata erant. Moyses enim et alii literis initiati externis, utilitatis causa et necessitudinis, jam prima in origine hujus populi, res necessarias literis mandaverant; et eruditione usi peregrina aliter literaturam coluerant, atque in aliis gentibus, in quibus literarum cultus sensim sensimque efflorescebat. Gens autem postea religioni dedita priscae, haud oblita monumentorum, non modo sedulo ea conservavit, sed etiam eorum stylum imitata est, et hoc modo nisi perfectum, immutabile certe orationis genus coluit. Unus enim stylus, unumque studium in omnibus observatur [5]).

II.

Cum autem haec gens et illi homines, qui literis erant eruditi Aegyptiacis, vita decessissent, et posteritas bellis diuturnis ferox et barbara ne legibus quidem operam navasset, et suo arbitratu institutiones sibi formasset [6]), literaturae a patribus traditae memoria abolita est, et leges illae, [quae populi parti semper tamen sacrae fuerant], modo a sacerdotibus in arca foederis, cujus hac aetate perraro mentio fit, pro paucis

---

1) Jos. 24, 24. cf. Neem. 8, 8. — 2) Josua 18, 9. — 3) Thalm. Bab. Bathr. 14, 2. — 4) Abarban. praef. libri Jos. — 5) Ut Spinoza tract. Theolog. hoc diserte probare studet. — 6) Judic. 17, 6.

piis asservatae sunt. Populus vero a majorum mandatis maxime abhorrebat. Quin etiam et idolum in honorem Jehovae Michas exstruxit [1]), oblitus fundamentum totius legislationis. Simson sicuti etiam filii Elimelech [2]) alienigenas in matrimonium duxere, et Jephta filiam immolavit. Quae omnia satis declarant, populum nullas tunc leges cognovisse; quae quoniam tamen nobis servatae sunt, in templo custoditae videntur fuisse.

Novum vero literaturae genus tunc videtur floruisse. Ad quod etiam veteres incolae pro virili parte videntur attribuisse. Hae enim gentes, quae, ut ita dicam, in media eruditione vixerant, (Phoenicum enim et Aegyptiorum nota est gloria), certe jam literis operam navabant, et quandam assecutae erant culturam. Sic invenimus urbem nominatam קריח ספר, quae celebre est assecuta literis nomen, et quae vel postea splendorem servabat, דביר enim „templum“ nominabatur. Alia etiam urbs קריח סנה nomen habet, quod Gesenius urbem legum interpretatur. Atque certe cum servati incolae multa genti Hebraicae tradiderunt, tum occisi monumenta reliquerunt, quorum vim absconditam inscia pectore tuebatur intimo.

Nimirum igitur acceptis his scientiis populus celeriter altum assequi potuit gradum, et a ruditate bellicosa et feroci raptim pervenire ad meliorem vivendi modum. Itaque exspectandum est, Judicum aetate, ut tunc temporis, scientias et apud Hebraeos floruisse. In cantico [3]) Deborae sic etiam dicuntur e tribu Zebulon fuisse, qui artis periti fuerint scribendi. Etiam incolae urbis Jabes, ut videtur hac aetate, memorantur [4]) docti fuisse. Quin etiam vel populo ipsi ars scribendi usitata erat. Puer enim quidam narratur [5]) captus, cum, victis Midionitis, a Gideone interrogatus esset de viris illustrissimis, eorum nomina et numerum scripsisse. Nec certe carmina [6]) tum et rerum gestarum memoriae populum deficiebant.

1) Judic. 17, 3. — 2) Ruth 1, 4. — 3) Judic. 5, 14. — 4) 1 Chron. 2, 55. — 5) Judic. 6, 14. — 6) Judic. 11, 40. 21, 21.

Sed nihil servatum habemus, nisi carmem Deborae nec ulla quidem nobis mentio occurrit librorum deperditorum. Non ut alias, [in ceteris et Josuae et Reg. et Chron. libris], ad ceteros, in libro Judicum, remittitur libros, quamquam in vita Judicum, qui humili, ut solebat, loco orti dignitatem assecuti sunt, multa fuisse memorabilia opinandum est, et de multis nomen regnique spatium modo memoratur [1]) et cetera facta videntur omissa. Cujus rei causa certo haec tantum videtur fuisse, quod piae posteritati religioni erat, libros vetustos servare, qui verecundia dei unici Jehovae egebant, et ab impiis confecti erant auctoribus. Propeterea modo videntur et auctores nostrorum librorum, qui vel ipsi prophetae erant vel prophetae habebantur [2]), speciatim memorare impia monumenta, dubitasse.

Genealogiarum vero mentio nobis adest, quippe quae semper sanctae haberentur. De nonnullorum enim virorum nominibus legimus [3]), qui Judicum temporibus verisimiliter vixerant, „et verba haec sunt perantiqua." Cum propter antiquitatem quaedam fides his tribuatur verbis, nomina illa e fonte perantiquo sumta videntur, qui certe intererat inter alias genealogias servatas post exilium.

III.

Cum autem per hanc tempestatem varia populus actus fortunâ, pedetentim inveterasset in terra, laetaeque et diversae res ei evenissent, Samuel judex populi simulque propheta, ad pristinas populum assuefecit leges divinas, et sanctam Moysis legislationem introducere studens, opus, quod Eli et priores jam inchoaverant, feliciter finivit. Populus enim unum tunc cultum magnam partem habebat, et sanctum foederis tabernaculum putabat. Mandata facta videmus festaque celebrata. Sic pascha magnifice actum est et

---

1) Judic. 12, 8. — 2) Joseph. cont. Apion. 1, 7. — 3) I. Chron. 4, 22.

sumptuose [1]), et dum adhuc prophetiae populum deficiunt, ubiubi videmus prophetarum discipulos et proficiscentes et cantantes [2]). Vetus lex renovata videtur, novaeque institutiones laetum fructum edidere. Attamen gens, Samuele indies facto infirmiore, unius potestate maxime egebat, et regem creavit. Cum autem hac re forma civitatis permutata esset, et a pristinis institutis et simplici pietate, dum regnum adhuc vigebat sacerdotale, novum hoc regimen maxime abhorruisset, Samuel perdoluit, novas que credidit opus esse veteribus adjici leges, ne civitas regia potestate premeretur, neve sacerdotalis ordo amitteret dignitatem [3]). Quamobrem legimus [4]) „et praelegit Samuel regni constitutionem et scripsit in librum illum et posuit ante deum." Quam constitutionem alii volunt esse descriptionem illam abusus regiae potestatis, supra, 8, 11—19, cui sententiae LXX assentiuntur interpretantes Δικαιωμα του βασιλεως. Fortasse etiam Josephus huic opinioni favet, qui narrat [5]) ὡς δ'ἐπε φημησε τῳ βασιλει σωτηρίαν ὁ λαος, τα μελλοντα συμβησεσθαι κακα αὐτοις γραψας ὁ προφητης ἀνεγνω, abusum igitur regiae potestatis populo praedixit. Sed nequaquam hoc rectum est. Hic enim abusus supra descriptus non jus est regni המלוכה, sed regis המלך, qui tale sibi arrogavit, sicuti etiam bis supra nominatur [6]). Nec etiam verisimile est tale jus, quod injuria rex sibi vindicaverit, nec quo rex usus sit bonus, regi concessum et in libro consignatum esse; et si vaticinatus Samuel modo esset, quod Josephus referre vult, non de jure sed vaticinatione scribenda in librum sermo esset. Itaque alii autumant, cum praeterea arduum videatur, Samuelem iratum esse de rege creato, Moyse jam regem eligi jubente, illas leges in pentateucho [7]) eandem constitutionem esse, quam Samuel scripsisse dicitur. At in Deuter. sermo cum

---

1) II. Chron. 35, 18. — 2) I. Sam. 10, 5, 19, 20. — 3) I. Sam. 13, 10, 13, 14. — 4) I. Sam. 10, 25. — 5) Joseph. Antiq. VI, 5. — 6) I. Sam. 8, 9, 11. — 7) Deuter. 17, 14. sq.

sit „si veneris in terram et ibi habitaris" etc., nequaquam illae leges institutio illa esse possunt, quae certe tali non est formâ facta. Praeterea etiam in Deut., non de jure regni, quod exspectandum esset, nec de regis potestate leges promulgantur, sed potius mandata, quae regi sunt observanda, et quae מצות המלך appellantur, sunt consignata. Samuel igitur tantum propterea iratus est populo, quod regimen dei aspernaretur et amplius regis potestate egere nollet. Quin etiam abusus ille a Samuele descriptus legem Moysis quodam modo agnoscit et evitat; non enim vetitum ne fieret a rege, et tamem mala permulta propheta veretur. Constitutio regni Samuelis ergo nos non attigit sed remota est. Quae autem, quoniam coram deo, in templo, ponebatur, et ipsa in quodam noto libro consignabatur, libro legum adposita videtur, in quo et Moysis et Josuae leges notatas vidimus.

Rege creato, regiaque potestate firmata novae leges, novaeque institutiones factae sunt, inprimis a Davide et Salomone. Saul vero sacerdotum exosus potestatem, vel quia bellis et seditionibus fatigatus tempus non habebat de salute patriae cogitandi, leges non narratur tulisse. Contra Davidis mandata traduntur multa. Sic David dicitur [1]) contra militum voluntatem l e g e m sanciisse d e p r a e d a d i v i d e n d a, quae usque ad auctoris tempus sancta habebatur. Atque et d e o r d i n e e t s t a t u L e v i t a r u m nonnulla mandata imperavit [2]), quae scripta esse scimus. Nam Josia rex dicitur [3]) eis obsecutus esse, et ea cognovisse. Etiam d i v i s i o L e v i t a r u m et t e m p l i f o r m a, o m n i u m q u e v a s o r u m Davidi tribuuntur, quas consignatas esse in libro auctor aperte tradit [4]), et quas diu deinde exstitisse comperimus. Nam tum Salomo, ut mandata erant Davidis, et L e v i t a s distribuit et or-

---

1) I. Sam. 30, 25. — 2) I. Chron. 15, 16. — 3) II. Chron. 35, 15. — 4) I. Chron. 28, 11—19 et 24, 3 et 23, 6.

dinavit [1]), tum etiam idem Josia ita omnia paravit [2]). Sic enim dixit „praeparate vos ad divisiones“ בכתב דויד ובמכתב שלמה בנו. Quae fortasse propterea sic citantur, quod Salomo jam tum regnabat I. Chron. 23, 1. cum leges illae latae sunt. Ceterum non omnes versiones videntur legisse במכתב. LXX enim vertunt διὰ χειρός et legunt igitur ביד. Pro quo auctor Pseud.-Esdr. habet ביד. In hoc enim libro 1, 5, quo eadem historia, iisdem verbis traditur, adest κατα τὴν μεγαλειοτῆτα Σαλωμοντος του ὑιου αὐτου. Vulgat: etiam mirum in modum a lectione abhorret Hebraica, vertens, juxta magnificam Salomonis descriptionem. Etiam post exilium secundum haec mandata Davidis, Levitae dicuntur [3]) distributi fuisse; quae ideo tum exstitisse clare apparet. Quae praecepta videntur, cum et ipsa ad cultum spectassent, in templo custodita esse. Quare etiam usque ad tempora post exilium integra remanebant.

Josia rege [4]), liber inventus est a sacerdote, qui Thora appellatur, et a Moyse confectus dicitur. Quo rex maxime perterritus quosdam misit, qui de eo prophetissam rogarent quandam. Pentateuchus noster hic liber non erat. Nam cum ille, ut opus Moysis, jam tum in vulgus editus esset, nullo modo tam incognitus esse potuit, ut de eo rex pertimescere debuisset. Graecia jam tunc têmporis libros insignes conservaverat, et certo, regem et sacerdotes, Judaeae civitatis ex aevo literis deditae, suum divinum librum omnino ignorasse, minime credendum est. Eichhornius quidem putat, repertum librum ipsum pentateuchum a Moyse confectum esse, et αὐτόγραφον, qui propter hanc dignitatem regem tam vehementer perterreret. Sed miraculum loco ejus, quod haud probabile videtur, ponimus. Nam per septingentos annos eundem exstitisse librum, certe mirabile est, praesertim cum ne in magna quidem habitus esset cura. In loco enim abscondito

---

1) II. Chron, 8, 14. — 2) II. Chron. 35, 4. — 3) Neem. 12, 24. — 4) II. Chron. 34 cf. II. Reg. 22.

apud thecam nummariam inveniebatur. Itaque liber hic repertus collectio legum illa a Moyse confecta et ab aliis aucta et rescripta habenda est. Hanc ob causam etiam liber Thora hoc in loco nominatur, quem librum, supra demonstravimus, leges modo complexum esse, et alias[1]) verba foederis, sicuti etiam nominatur legum liber[2]). Etsi enim leges omnes hujusce libri in pentateucho fuerant, tamen hic non tam sanctus habebatur, quam ille liber, qui in templo situs magnam assecutus est hac re dignitatem. Exsecrationes vero eidem adjectae facile regi formidinem injicere poterant[3]), cum vidisset leges non observatas esse. Verum quod liber hic legum, qui, quamvis semel modo in templo eum exstitisse paucis cognitum concedamus, tamen persanctus habebatur, regi potissimum ignotus erat, causam opinor sitam esse in statu rerum. Manassem enim regem idolum in templo scimus collocasse. Quod cum toti Moysis legislationi esset contrarium, nequaquam rex leges illas in eodem templo pati et servare potuit, sed potius eas ejecisse credendus est. Quare cum cultus pristinus a Josia restitutus esset, etiam leges illae in illo loco inventae, quo absconditae rejectaeque jacebant, in pristinam restitutae sunt dignitatem. Conjecturis igitur haud incertis firmatum videmus, quod etiam opinio fert, sub regibus impiis, qui templum profanarunt sacrum, legum librum neglectum et rejectum esse. Pii vero reges maxime eum honorabant, et prophetae eum regibus explicabant. Sic Jesajas dicitur[4]) Ezechiam leges docuisse et in viam duxisse rectam. Atque si mores in fabulis relatos et consuetudines, in rebus vel incredibilibus, veras nec omnino fictas habemus, comperimus[5]) prophetas ipsos nonnullas adjecisse legibus institutiones. Quae vel his in miraculis templum semper spectant. cf. 2 Chron. 29, 25.

---

1) 2 Reg. 23, 3. — 2) Exod. 24, 4, 7. 34, 27. Deut. 28, 69. — 3) 2 Reg. 22, 16. — 4) Sirach 48, 22. — 5) 2 Macc. 2, 1.

Literatura vero hac aetate summum apud Hebraeos assecuta est culmen suum. Multa enim monumenta nobis supersunt, eaque optima, quae Judaea olim protulit. Sed ut eadem maximam partem aut ad civitatem spectant, aut ad providentiam dei et ejus sanctum regimen, sic etiam deperditorum modo, quae eadem tractabant, mentio fit, et ad eadem auctores nostrorum librorum lectorem remittunt; cetera nox tegit et oblivio sempiterna, quae paucis modo notitiis in relatione forte elapsis illustratur. Itaque etiam primum annales citatos, deinde prophetias, quibus nostri libri orti sunt, tractabimus; de ceteris postea agemus.

A. De Annalibus.

Annales res gestas continentes in libris regum et Chronicorum persaepe laudantur, quibus dicuntur res omissae inesse. Recte igitur jam Theodoretus[1]) adnotat, in archivis laudatis multa esse tradita, quorum unam partem ab auctore librorum regum, alteram ab auctore Chronicorum pro ratione quavis excerptam fuisse.

Quamobrem etiam, cum auctor Chronicorum, qui sine dubio post exilium vixit[2]), illos annales norit, temporibus etiam hisce eos adhuc exstitisse, necesse est opinari. Nostra quidem aetas magnas movit dubitationes de libris Chronic., et omnia amat suspecta habere. Nec defuere auctores, ut De Wette et Gramberg et alii, qui omnibus in rebus suspicionem invenirent, et modo auctorem callidum et astutum haberent, modo socordem et segnem, ita ut ne simplex quidem nec veritatis amans appareret. Sic etiam libros citatos esse fictos putabant, et seu studio ostentandi, multorum se cognitione librorum esse doctum et instructum, seu cupiditate citandi aviditateque gloriae permagnae, ab eodem nominatos. Sed multa opprobria jam et a Dahlero et a Keilio erudite et cum sagacitate rejecta sunt, et quamquam nonnulla adhuc defensione indigent

---

1) Quaest. 3 Reg. 9, 49. — 2) Reditum enim narrat 2 Chron. 36, 23. cf. Genealog. etiam. 1 Chron. 3, 18—24.

diligentiore et enucleatiore commentatione, tamen haec non impediunt, quominus nostra dissertatio vera sit et nixa veritate. Huic enim sufficit, si citatos libros sic tractamus, ut nulla remaneat repugnantia et discrepantia a libris legum, et quaedam etiam appareat relationis verisimilitudo. Nullo enim modo sic de veritate dubitare debemus amplius, cum in quovis libro, quae verisimilitudine utuntur, et ab omni remota sunt contradictione, praesertim si in eadem re nihil invenitur suspicionis, haud omnino neganda sint.

Maxime autem verisimile est, libros illos, qui semper sancti habebantur, cum Judaei in patriam rediissent, post exilium collectos et servatos esse, et tantum, hostili Maccab. aetate, in illa calamitate et vexatione interiisse. Nec ulla nobis causa occurrit, cur auctor finxisse hoc censendum sit, cum studium illud perversum, supra indicatum, vanae ostentationis, certe immerito adjudicatum auctori sit. Restat quidem nunc ut repugnantiam librorum Regum et Chronicor. tollamus. Ac verum est, dum criticis inquisitionibus clare et apparenter demonstrari potest, eosdem libros et Chronic. et Regum libris fontes serviisse, auctorem alios libros atque auctorem lib. Reg. nuncupare, et fontibus suis alios titulos affingere. Sed diversitas solis in nominibus librorum, non in libris ipsis sita est. Revera enim auctor Chronic., quoniam multa iisdem verbis atque auctor Regum, paucis mutatis, refert, clare hac re demonstrat, se eosdem fontes habuisse, quia forte utramque relationem concinnuisse, minime putandum est. Sed cum in collectione librorum post exilium forma permutata esset, etiam alia nomina et diversa eis imposita sunt. De hac forma autem librorum et de causis horum nominum paulo post agemus. Nunc status ante exilium nobis inquirendus est et adumbrandus, et annalium institutio.

Prima origo horum Chronicorum, Salomone rege, nobis obvia est. De Saulis enim imperio nihil citatur, neque etiam quidquam ab auctore regum, qui haec chronica sola digna memoratu habuisse videtur, de Davidis regno.

Contra auctor Chronicorum aperte, ad fontes suos lectorem remittens, tradit [1]), res gestas Davidis priores et posteriores consignatas fuisse in verbis Samuelis Gadis etc. cum ejus fortitudine et regno temporibusque, quae ei et ceteris populis orbis terrarum accidissent. Cum ceterarum gentium historiis igitur conjuntcae fuere res gestae ejus. Itaque etiam res dierum Davidis, non regum saepe nominantur. cf. 1 Chron. 27, 24. 23, 27. Salomone igitur rege, prima archiva coepta sunt; quae, quoniam Salomon solus in ambabus regnaverat civitatibus, liber Salomonis tantum nominatur [2]). Postquam autem civitas in duas partes divisa est, in ambabus scripti annales sunt[3]), quibus nomen impositum est rerum dierum pro regibus Judaeorum aut Israelitarum. Atque hi annales, qui de quoque rege, praeter impium muliebre regimen Athaliae, in calce semper instruendi causa de omissis rebus citantur, continuati sunt usque ad Jojacimi mortem. Quo rege, civitas maxime perturbata, neque amplius cura rebus describendis adhibita est. Dehinc igitur libri Chronic. a regum libris maxime abhorrent.

Quoniam sic templo vel palatio regali aedificato simul haec archiva instituta sunt prima, conjiciendum est, in aliquo loco eorum posita illa esse. Apertum ante exilium non habemus indicium. Quocumque in loco autem fuerint haec archiva, semper videntur a viris confecta esse tali munere fungentibus. Titulus enim מזכיר, cujus prima mentio Davide rege fit [4]), his videtur [5]) adjectus viris, et haud parvi erat.

Sed citatorum annalium auctores nonnulli etiam prophetae erant, praeter illos scriptores designatos. Sic legimus [6]), Jesajam scripsisse res gestas Usiae, et in aliis locis haud obscure hoc indicatum est de aliis pro-

---

1) 1 Chron. 29, 29, 30. — 2) 1 Reg. 11, 42. — 3) Sic etiam mos erat ceteris gentibus. Est. 10, 2. 6, 1. Apocryph. Est. 12, 6. — 4) 2 Sam. 8, 16. — 5) Gesen. in Lexic. — 6) 2 Chron. 26.

phetis [1]). Quin etiam in omnibus locis, quibus res dicuntur fuisse in verbis prophetae cujusdam, בדברי, hic auctor harum est habendus. Nam locus modo, quo hae res inveniri possent, certe tali notatione non potest indicari, cum et supervacuum videatur et ridiculum sit, historiam regis cujusvis verbis prophetae et factis indicari. Praeterea etiam multis in locis, e. c. 2 Chron. 20, 34., quibus multorum prophetarum vaticinia proferuntur, in unius potissimum verbis historia dicitur relata esse; de ceteris nihil memoratur. Sic in l. l. quamquam permulta de mirabili illo vaticinio Michae referuntur, contra Jehu oraculum breve et parvum est, 2 Chron. 19, 2, 3., in hujus tamen verbis traditur historia fuisse tota. Quod si locus modo indicaretur, quo inveniretur, non minore vaticinio hoc, sed majore illo vaticinio significaretur. Nihil igitur aliud his notationibus notatur, nisi hunc prophetam historiam regis in suis vaticiniis descripsisse. Traditionem etiam de auctoribus prophetis Josephus [2]) nobis servavit.

Sequentes prophetae, [alii enim auctores nobis non memorantur], hac inquisitione praemissa, nobis scriptores annalium citatorum occurrunt. — Salomonis vitam descripsere Achya Idda et Nathan [3]), quae ab auctore regum liber Salomonis appellatur. — Rehabeam habet [4]) vitae suae auctores Sumaja et Iddo. — Abijae historiam videtur Iddo descripsisse; hujusce enim operis commentationem, מדרש, ut infra videbimus, auctor Chronicorum citat [5]) et habet fontem. Quodsi opus Iddo non vita Abijae fuisset, nequaquam verisimile esset, hujusce commentationem res gestas continuisse relatas. — Jesajas dicitur [6]) scripsisse res Usiae, quae non, ut alias, in visionibus dicuntur fuisse; Jesajas enim creditur [7]), Usia rege, vaticinia, quae דברים

1) 2 Chron. 20, 34. 32, 32. Syr. interp. 1 Reg. 17, 18? — 2) Joseph. cont. Ap. 1, 7. — 3) 2 Chron. 9, 29. — 4) 2 Chron. 12, 15. — 5) 2 Chron. 13, 22. — 6) 2 Chron. 26, 22. — 7) Hanc traditionem, omissis fabellis quibusdam, Abulpharagius Histor. Dynast. ed. Pocok. 60. nobis servat, etiamque arabic. parap.

appellantur [1]), non edidisse. Sic enim legimus [2]), initium visionum fuisse, Usia mortuo, cui regi etiam non traditur [3]), sicut Hisciae, lepram sanasse. — Contra vero Hisciae vitam comperimus [4]) in visionibus Jesajae fuisse. — Josaphatis res gestae dicuntur [5]) ab Jehu enarratae esse, quae quidem ab auctore Chronic. referuntur annalibus Israelitarum adpositae fuisse, ab auctore vero regum, ante exilium igitur, in alibus Judaeorum adhuc inventae [6]). — Manassis peccata traduntur [7]) et ejus poenitentia relata confecta esse ab Hosai. Preces ejus et verba prophetarum narrantur in Israelitarum archivis fuisse. Peccata autem ejus videntur, secundum testimonium auctoris regum [8]), simul cum rebus gestis, annalibus Judaeorum infuisse. Quae res non videntur, ab Hosai aequali Manassis, narratae esse, sed potius post hujusce mortem. Meditationes enim piae illae, ac 2 Reg. 21, 7, 8, 9. ipsi narrationi interpositae, semel modo in historicis libris hic occurrunt; missio etiam prophetarum valde universaliter et incerte, sicuti cohortatio, relata est, l. l. 10 — 12 sqq.; e multis enim citatis sententiis est formata cf. 1 Sam. 3, 11 etc. — Ceterorum regum et Judaeorum et Israelitarum rerum auctores nobis non memorantur, seu quia prophetae non erant, vel omnino ignoti, seu consulto ab auctore Chron. omissi. Hic enim non nomina modo multorum non memorat, sed etiam opera sceleratorum, quos impii reges habebant auctores, de industria non citat. Sic Jorami de regno nihil citat, qui sceleratissimus simul et maxime impius dicitur [9]) obiisse sine gaudio et misericordia, et ne oraculo quidem dignus visus est; [10]) epistola enim sola ad eum mittitur, quae malum ei praesagiret. Idem etiam de Amone in-

---

Jes. 6, 1. dicens
„haec visio prima est post omissum donum propheticum."

1) Jerem. 1, 1. Zephan. 1, 1 etc. — 2) Jesj. 6, 2. et alias. — 3) 2 Chron. 26, 22. cf. Jes. 38, 21. — 4) 2 Chron. 32, 32. — 5) 2 Chron. 20, 35. — 6) 1 Reg. 22, 46. — 7) 2 Chron. 33, 18, 19. — 8) 2 Reg. 21, 17. — 9) 2 Chron. 21, 30. — 10) 21, 12.

venimus, qui sceleratior ipso patre Manasse erat, et, „idem," ut dicitur [1]), „tanta mala qui augmentabat." Achasiae autem de regno ne in libris regum quidem quidquid citatur, quia non diu regnaverat [2]).

Praeter hos annales Davidis res gestae dicuntur descriptae esse [3]) a Nathane, Samuele et Gade, ad quas, quia inter annales regios ante exilium institutos non fuerant, auctor regum lectorem non remisit. — Etiam ceterarum gentium historiae, quae nobis memorantur [4]), confectae hac aetate sunt. — Mirabilia quoque prophetarum facta et dicta honor non videtur attigisse ante exilium ut in annales reciperentur, quoniam persaepe regi invisa fuerant et suspecta, itaut nequaquam ea in suos annales recipi pateretur. Quae nihilominus in quibusdam libris erant consignata, cum eorum memoria scriptores nostrorum librorum haud deficeret, et imprimis, auctorem Chronic., praeter libros Regum, etiam eorum fontes habuisse, cognosci liceat. Multis enim in locis omnia iisdem quidem verbis, sed tamen et nonnulla mutata tradit. Quod modo, iisdem fontibus mutatis, fieri poterat. Quamobrem etiam nunc relationes nonnullae, et stylo et forma, insertae orationis partes nobis apparent [5]).

Ex historiarum libris auctores Samuelis et Regum relationes extrahebant suas. Hae autem non rescriptae et transformatae erant, sed potius ad verbum fere adhibitae. Mos enim erat Hebraeis historias acceptas tali modo excerpendi. Itaque etiam nunc invenimus eadem facta bis et ter in libris Regum et Chronicorum et Jesajae Jeremiaeque iisdem semper verbis repetita. Atque in multis aliis locis repetitiones eodem modo persaepe adsunt. Similitudo igitur, quae nostris libris magnam partem inest, et in verbis et in modo narrandi, etiam libris illis deperditis propria videtur fuisse.

---

1) 2 Chron. 33, 23. — 2) Comparetur cum hoc memorabilis dissidentia inter libr. Reg. et Chron. 2 Chron. 22, 2. cf. 2 Reg. 8, 26. — 3) 1 Chron. 29, 29. — 4) 93, 29, 30. — 5) Berthold, Einleitung III. Ueber die Quellen d. Bücher d. Könige. 1 Reg. 21.

Quod vero nemini mirum videatur, tam diversos auctores, tam diversis temporum spatiis, non in operibus suis inter se differre; cum stylus simplex inconditusque, cui ab Hebraeis haud magna est adhibita cura, jamjam ipsa simplicitate alius alii similis, differentiam agnoscere haud tam facile lectorem sinat. Huc studium accedit, quod omnibus auctoribus proprium videtur fuisse, voces majorum et verba adhibendi in descriptionibus; quo etiam similitudo quaedam efficitur.

Annales autem illi, qui citantur, certe plus in se continebant, quam libri nostri. Sic enim legimus persaepe ceteras res gestas, quae omissae sunt, scriptas esse in libris illis, et ubiubi factis occurrimus, quae nobis non relata sunt, *sicut historia Chusch* Ps. 7, 1. et aliorum multorum. Etiam si removeamus prophetarum miras res, perpauca nobis de civitate et de regibus remanent, et saepe nihil aliud nisi „et fecit seu malum seu bonum.“ Injustitia Achabis in Naboth diligenter et copiose traditur, qnia Eli malum praesagiebat hic, contra vero de sanguine a Manasse injuste effuso et a ceteris, ne unum quidem verbum adest. Sic et studium illud demonstrandi dei regimen in populum et in singulos, propter quod certe in nostris libris multa, quae cum divina justitia non congruere videbantur, omissa sunt, non libris citatis videtur infuisse, ita ut et copiosius narrari omnia potuerint. Quae omnia satis declarant, multa in archivis laudatis tradita esse, quae nunc nobis ignota sint, et tantum ea, quae divinam providentiam pro populo electo Jehovae demonstrare possint, collecta esse ab auctoribus nostrorum librorum.

G e n e a l o g i a e, quas supra demonstravimus semper habitas esse, etiam nunc continuatae sunt [1]). N u m e r u s quoque Levitarum memoratur [2]), qui clare dicitur archivis appositus fuisse; ac mos erat archivis numerum civium adjiciendi, cum modo propter iram dei [3]) numerus ille Joabis non adjectus esset.

---

1) Neem. 12, 23. 1 Chron. 9, 1. — 2) 1 Chron. 23, 27. — 3) 1 Chron. 27, 24.

B. De prophetiis.

Prophetias etiam permultas hac aetate confectas esse, conjiciendum est, e quibus nonnullae sumtae nobis servatae sunt. Nam dum jam, Samuele vivo, ubiubi prophetas cantantes invenimus, tamen perpauca ante Usiae aetatem nobis servata sunt, et multorum prophetarum nonnulla sola capita supersunt, quae praeterea vaticinati sunt non habemus. Quin etiam in multis locis [1]) prophetae dicuntur vaticinati esse, quorum ne vestigium quidem superest. E quibus omnibus constat, multa vaticinia exstitisse, quae, quoniam forte ante tempora Usiae ruditate styli laborabant, et deinde res nec portentosas nec memoratu dignas tractabant, nos haud attingebant. Quorum tamen memoria omnino non abolevit, breviter hic tractabo. — Prophetia Achijae et visio Jeddi, ad indicandas res gestas omissas, quae ab his auctoribus confectae in eorum visionibus dicuntur fuisse, nobis memorantur [2]). Quarum prioris summum argumentum in 1 Reg. 11, 29. indicatum est; de altera nihil scimus. In extracto quidem Batavo [3]) Chronicorum, quae Israelitae in Cochin habere dicuntur, citantur etiam visiones Gadi et Nathanis et Samajae Achijaeque. Sed cum liber Regum ibidem non enumeretur, putandum est, citatas illas visiones civitatis Israeliticae historiam usque ad exsilium continere, et forsitan non diversas esse a nostra relatione, cum illic nostris libris magnam partem citati libri congruant. — Jonas etiam traditur [4]) vaticinatus esse de Jerobeamo IIo; quod vaticinium etiam non habemus. Hitzig quidem Jes. 15 et 16. in suo com. eadem capita Jonatho tribuit. Sed haec conjectura non firmis nititur argumentis. Nam nec talis occupatio terrae Moabiticae, ut in Jes. descripta est, nec etiam amicitia inter Israel et Juda satis demonstratur; praesertim cum Amos aequalis nil de eodem memoret. — Visio etiam Jesajae memoratur [5]), quae nequaquam ea forma erat, qua nunc Jesajae librum ha-

---

1) 2 Chron. 33, 18. etc. — 2) 2 Chron. 9, 29. — 3) Eichli Bibl. 1. 930. — 4) 2 Reg. 14, 25. — 5) 2 Chron. 32.

hemus, quamvis iisdem verbis, quibus noster Jesajae liber incipit, citatur. In eadem enim dicuntur res gestae, quae in Chronic. libris non traduntur, relatae esse; in nostro vero Jesaja nihil memoratur, quod non, aut iisdem verbis, aut brevi oratione coarctatum in libris Chronic. tradatur. Quin etiam in his multo plus, ut mors et festa celebrata, traduntur quam in illo. Itaque visiones citatae, alia forma atque in nostro libro, erant coagmentatae, in quibus historia Hiskiae copiose ab Jesaja tradita erat. Sed quoniam noster liber Jesajae, temporibus Chronicorum auctoris, ea forma, qua nunc gaudet, in vulgus editus jam omnibus notus erat, perusitato hoc initio libri etiam illae visiones citantur; quae a scriptore Chronicorum vel post exilium adhuc traduntur archivis infuisse. Certe igitur ante exilium etiam alia forma, ac qua nunc eas habemus, multis notae erant. — Aliorum prophetarum visiones, quarum argumentum narratur, quaeque alias separatim non citantur, hic omitto.

Visiones vero ante exilium non videntur archivis appositae esse, nec etiam in templo servatae. Regibus enim et populo nonnullae invisae erant. Clarum autem indicium de hac re non habemus.

C. *De ceteris libris.*

Ut annales illi soluta erant confecti oratione, sic etiam carminibus res gestas videmus celebratas esse variosq. casus cantatos. Sic enim elegia Davidis de Saulis et Jonathanis morte consignata esse traditur 1) in libro Hajaschar, ut doceret filios Israelitarum קשת i. e. arcum, quia hoc carmen ab uno verbo sic nominatur, seu ut hortaretur ad arma capessenda et tractanda, seu ut tristia et difficilia nuntiaret, pro קשת enim legitur 2) קשה. Atque in eodem libro clades quinque regum cantata erat 3), mirabilissimusque ille casus, Josua duce, de sole et luna. Diversa haec carmina,

---

1) 3 Sam. 1, 17, 18. — 2) Journ. Berlin 2697, 358. — 3) Josua 10, 13.

quae res gestas per multa saecula disjunctas, easque haud similis argumenti tractabant, multa alia inter se probant inserta carmina fuisse. Quocirca multa de hoc libro vaticinari interpretatores ausi sunt, et recte Waltherus adnotat[1], quot sententias tot capita de hoc libro esse, cf. Abichti Dissert. de libro justi. Nec recentiores a veteribus in conjecturis capiendis superantur, sed potius, in quovis libro novo, nova sententia profertur, ut nuperrime a Tilgencampio[2]. Sed de omnibus maxime placet illa, quam Syr. interpr. profert, vertens ܕܬܫܒܚܬܐ, et Eichh. et Jahn. recipiunt; scilicet librum esse collectionem carminum et ישר vetustam formam pro ישר vel שיר. In hac igitur collectione diversa carmina insignia paulatim collecta videntur esse. Ex eadem etiam Habacuc videtur hausisse qui eandem rem refert[3]. Hieronymus [Jesaj. 44. et Ezechiel 14.] quidem putat hunc librum esse Genesin, quam sententiam etiam Raschi profert, et Spannhemius[4] autumat Ruth partem esse hujusce libri. Sed hae non meliores conjecturae sunt, quam illa, Habacucis librum Sepher Hajaschar esse, quae nonnullis placuit; quam clare Martin. in dissert.[5] refutat suis. Josephus videtur ישר ad fidem historicam et dignitatem retulisse, quam reservatis in templo libris tribuit, referrens[6] δηλοῦται διὰ τῶν ἀνακειμένων ἐν ἱερῷ βιβλίων. Quod nequaquam nostrae obstat opinioni, cum carmina semper ex eodem libro recitentur.

Elegia quoque, quae de morte Josiae cantabatur, in libris elegiarum dicitur[7] designata fuisse, quas cantores et cantrices electae canebant. Pseud. Esdr. III. 1, 32. pro שרים *cantores* legit, *οἱ προσκαθημενοι συν γυναιξιν ἐθρηνησαν ἀυτον, ἑως της ἡμερας ταυτης.* Aliae etiam elegiae celebres nobis memorantur[8] domus Rachabis, forsan jam temporibus Judicum con-

---

1) Officina bibl. in fine. — 2) Einleitung ins a. T. 1833. — 3) Habac. 3, 11. — 4) Historia eccl. V. T. 1, 337. cf. Augusti Einl. ins A. A. 1827. 279. — 5) Carpzov. introd. 394. — 6) Antiquit. V. 1, 17. — 7) 2 Chron. 35, 25. — 8) 1 Chron. 2. 55.

fectae. Mos enim videtur fuisse elegias canendi de viris magnis [1]).

Carmen etiam memorabile, quo odium Saulis in Davidem ortum est, citatur[2]). Salomon etiam narratur[3]) mille et quinque carmina et tria millia parabolorum, quae, ut numerus hoc indicat, scriptae olim erant, confecisse. Septuag. errore ducti quinque milia interpretantur, et Josephus [4]) exaggerandi causa tot libros ac carmina ei tribuit. Haec carmina autem nequaquam canticum cantic., nec etiam parabolae citatae noster Proverbiorum liber est, cum nequaquam numero, quocunque modo numeres, nostri libri Salomonis respondeant citatis libris. Ad summum concedendum est, nonnulla ex his nobis servata esse, ut de canticis hoc jam affirmat in ὑπομνήματι inedito Joseh. Christ., [quem Wolfius citat [5])] dicens το ἀσμα του Σαλωμονος, το μυστικον ἐξ ἀσματων πλειονων ἐξειλεχθαι ἐπιγεγραπται. — Athanasius vel potius auctor Synopseos etiam nobis tradit: ψαλμους τρισχιλιους λεγεται εἰναι του Δαβιδ, μονον δε ἑν ἐξ ἀυτων ἐξ λελεχθαι, τους δ'αλλους ἀποκεκρυφθαι. Idemque etiam Josephus laudatus affirmat, addens hos ab Hiscia abditos esse. Quae omnia minime probant, multa carmina, regibus vigentibus, cantata esse, quae Davidi celeberrimo regi tribuebantur.

De ceteris literaturae partibus restat ut nunc notitias etiam colligamus. Salomon sic dicitur [6]) de natura et animalium et plantarum et omnium rerum multa disseruisse locutusque esse. Ac fama quoque servata nobis est, medicinae eum studium adhibuisse. Quod Josephus quoque narrat [7]). In libro enim, quem Salomon reliquit, multa dicit remedia esse, quorum vim et decantationum potentiam ipse expertus sit. Hic liber quidem certe interpolatus est, cum in illa ipsa traditione de cognitione Salomonis, quam habuit in medicina, quae in Thalmud deinde recepta erat [8]), simul narretur ab Hiscia rege

1) 1 Reg. 13, 30. 2 Sam. 3, 34. — 2) 1 Sam. 18, 6. — 3) 1 Reg. 5, 12. — 4) Antiq. VIII. 2, 5. — 5) Bibl. Hebr. 2, 212. — 6) 1 Reg. 5, 12. — 7) Antiq. VIII. 5, 5. — 8) Tract. Barachot 10, 2.

remotus ipse esse. Attamen animadvertendum est, Salomone rege, etiam huic studio, ut tunc temporis, operam adhibitam esse. — Praeterea etiam alii viri docti nobis memorantur [1]), qui omnes suis temporibus ceteris mortalibus antecellebant, et literis operam navabant.

IV.

Exilium horribile, quod huic successit aetati, monumenta Hebraeorum, ut ceterarum gentium, funditus evertisset, nisi mox in patriam rediissent, et priscam renovassent constitutionem. Nam nec praestantia interna, nec sanctitas religionis, monumenta servare solebat populi in exilium acti et perdomiti, dum se commiscebat cum victoribus majorumque religionem obliviscebatur. Sed populus Judaeus mox rediit, et diversis cladibus sanctos habere paternos mores didicit. Vixdum igitur templum aedificabatur, et in priscam conditionem restituebatur populus, prisca monumeuta collecta sunt, et anxie custodita. De libris his collectis nunc agamus, priusquam de operibus deperditis hujusce aetatis disseramus.

1. De collectione librorum.

A. Librum legum, in templo olim servatum ab Esdra rescriptum esse, Apocalyp. Esdrae auctor tradit [2]). Hic liber quidem Esdrae a proselyto Judaeo quodam, C annos p. Chr. videtur editus esse. Nam Jesus Christus in eodem clare et diserte est appellatus venerabilis et dei filius; de populo autem Hebraeo auctor loquitur, ut electo e ceteris populis et honorabilissimo, cujus causa multi suut destinati prophetae, et qui solus aeternam assecuturus est vitam; [visiones aliae sicuti illa de aquilis, probant circiter C annos p. Chr. hunc librum editum esse]. Quamquam igitur jam sua aetate parum habet auctoritatis et fidei, et relatio-

---

1) 1 Reg. 5, 11. I Chron. 27, 33. etc. — 2) Apocalyp. Esdr. 14, c.

nibus ipsis, sicut illâ de aqua fulgente et in lucem versa, se facit suspectum, tamen quod nobis de collectione legum tradit, minime praetereundum est, praesertim cum accurato numero, veritas quodem modo firmata videatur, et aliae etiam causae probabilem faciant hanc relationem. In loco enim laudato notatum invenimus, Esdram deum adorasse et dixisse „positum est seculum in tenebris, et qui habitant in eo sine lumine; quoniam lex tua incensa est, propter quod nemo scit, quae a te facta sint, vel quae incipiant opera. Si enim inveni in te gratiam, immitte in me spiritum sanctum, et scribam omnia, quae facta sunt in seculo ab initio.“ Deus autem eum jussit quinque viros sumere, quibus dictaret; et postquam aquam biberat, immissus est in Esdram spiritus sanctus, et „illi viri,“ pergit, „scripsere quas dicebam excessiones noctis, quas non sciebant, nocte autem manducabant panem; ego autem per diem loquor et per noctem non tacebam.“ [1]) Atque scripti sunt libri ducenti quatuor, quorum septuaginta servavit, et tradidit sapientibus legendos, ceteros vero palam fecit. Pro mirabili hoc numero auctor arabicus, ut et in aliis rebus hoc facere solet [2]), verisimiliorem posuit, nempe nonaginta quattuor, quorum si illos septuaginta removes, restant viginti quattuor. Simili etiam modo auctor arabicus Maccabaeorum illius libri, qui historiam usque ad Caesarem continet, a septuaginta [3]) viris, viginti quattuor libros translatos esse tradit. Sed ambo et errore et studio exaequandi sunt ducti. Nam ut aperte scimus ex Aristaei libro pentateuchum tantum versum esse, sic etiam

1) Corrodi, Beleuchtung d. Canon 173, putat „non“ interpolatum esse, cum enim per noctem non scripsissent, ille tacuisse opinandus est. Sed „ego autem“ etiam tunc falsum est, cum dici deberet „ego etiam.“ Non igitur dubito, quin „tacere“ sensu inusitato hic sumendum sit, „quietus esse et otiosus;“ cum enim ille nocte excessiones habuisset, etiam ne nocte quidem, dum illi manducabant, erat quietus, sed semper hac re occupatus. — 2) Eichhorn bibl. IX. Abhandl. über die Arab. Uebers. der Apocal. Esdr. — 3) 2 Maccab. Arab. 2.

nunc constat Esdram omnes libros, quos habemus, non collegisse, quippe qui tunc non confecti essent. Praeterea etiam Esdra tantum narratur [1]) leges, non alios libros, quos collegisse Neemias traditur, in unum volumen redegisse. Auctori igitur vetustiori latini libri Esdrae IV [arabicus enim videtur decimo tertio saeculo confectus primo esse] magis confidendum est, et traditio, propter ipsum mirabilem numerum, non mera habenda fabula. Esdras sic et saepissime laudatur, qui libro legum maxime studeret; et semper celer scriptor nominatur [2]). Ipse etiam traditur [3]) institutiones dei et ejus mandata conscripsisse, speciatimque etiam Davidis praecepta supra laudata et memorata [4]) habuisse. L i b r u m l e g u m E l o h i m quoque, cui Josua et alii, ut supra demonstravimus, leges adjiciebant, populo praelegit [5]) VII dies. Hunc igitur librum habuit, praeter Pentateuchum, sicuti auctor Pseud. Esd. IV id suo numero tradit; quod patres Ecclesiastici errore ducti ad nostrum pentateuchum referunt. Atque etiamsi numerus ille, qui forte ad singulas leges referrendus est, non verus habebatur, manifestum tamen est, collectum ab Esdra librum, qui in uno tantum exemplari traditur [6]) exstitisse, non nostrum pentaetuchum esse, qui certe in multorum tunc manibus erat, et propter quem Esdras celeber scriptor non nominabatur. Quamobrem etiam Neem. 8, 15. versus citatur e libro Moysis, qui in nostro pentateucho non invenitur. Quoniam autem posteritati mirum visum est, unum exemplar in exilio servari potuisse, mirabili factum credebat visione, ut librum legum Esdras renovaret, et leges vetustas literis mandaret. Atque ut opinio et traditio fert [7]) et ipse nonnullas adjecit. Quas omnes ut olim, videtur in templo posuisse.

1) 2 Maccab. 2, 13. — 2) Esdr. 7, 6. — 3) Esdr. 7, 11. — 4) Neem. 12, 24, 45. — 5) Neem. 8, 8, 18. — 6) Thalm. Si de nostro pentateucho haec traditio posteritati remanserit, certo mirabile esset, bis et Josia rege, et Esdra vivo, unum tantum exemplar pentateuchi exstitisse, dum omnibus officium erat legendi pentateuchum. — 7) Tract. Thalm. Megilla 31, 2.

B. Genealogias dicitur [1]) Neemias invenisse, et collegisse, quae quidem modo eorum erant, qui post exilium in terram rediere sanctam; ac libris Chronicis adjiciebantur [2]). Levitarum vero omnes una erant genealogiae in archivis [3]). Numerus etiam, quem David designavit, post exilium exstitit [4]).

C. Annales etiam digni visi sunt, qui colligerentur. Propterea et auctor Chronic., qui certe diu post exilium vixit, eos adhuc cognovit. Neemias nobis collector ab auctore Maccab. II nuncupatur. Sic enim legimus [5]) *και ὡς καταβαλλομενος βιβλιοθηκην ἐπισυνηγαγε τα περι βασιλεων και προφητων, και τα του Δαβιδ, και ἐπιστολας βασιλεων περι των ἀναθηματων.* De nostris libris hic non sermo est, cum epistolae regum (Persarum?) nostris non insint libris, neque quidquam de libro Iudicum nec de Josua referatur, quod necessario memorandum erat. Itaque de annalibus tantum illis locutus est, quos collegit Esdra et in templo, loco honorabilissimo, posuit [6]).

In hac bibliotheca, ut legimus, et res prophetarum et regum conscriptae fuerant. Quod etiam e libris Chronic. comperimus. Visio enim Jesajae dicitur [7]). in annalibus regum fuisse, et visiones etiam eorum, qui vaticinati sunt contra Manassen [8]). Verba quoque Jehu apposita sunt archivis [9]). Sic etiam verisimile est, res mirificas, quarum cognitionem partim habemus, ibidem servatas fuisse, quoniam et nostris in libris, historiis populi eaedem implicitae, et ab utroque auctore regum et Chronic. sumtae ex uno eodemque libro sunt. Qui liber certe archivis inerat.

Apertum quoque est, cum una civitas modo tunc fuisset, annales ambarum civitatum, vel minime Israeliticae fragmenta, quae adhuc forte exsistebant, in unum collecta esse, cum Judaeorum annalibus. Propterea in-

---

1) Neem. 7, 5. — 2) 1 Chron. 9, 1. — 3) Neem. 12, 23. — 4) 1 Chron. 23, 27. — 5) 2 Maccab. 2, 13. — 6) Joseph Antiq. V. 1, 17. — 7) 2 Chron. 32, 33. — 8) 2 Chron. 33, 18. — 9) 2 Chron. 20, 34.

Chronic. libris semper illa archiva nominantur liber (non dierum res, cum nulla facta in se amplius recipiat), pro regibus Judaeis et Israeliticis. Nullum vero discrimen videtur inesse diversitati illi, qua modo pro regibus Judaeis et Israeliticis, modo Israeliticis et Judaeis archiva illa nominantur. Duobus modo in locis [1]), Sepher Hamelachim, non ut alias Malche etc. appellatur, in quibus etiam non dicitur „ceterae res sunt etc.," ut in multis aliis locis, sed potius „res ipsae" ibidem sunt designatae. Quoniam autem nulla probabili conjectura haec diversitas declarari potest, eam omittendam duco, et opinor fortuito ortam eam esse.

His annalibus videtur adjecta esse vita Davidis, quae ante exilium archivis non inerat. Atque fide quaeque dignissima et prophetis attributa videntur ex eadem hausta et ab auctore Chronic. loco fontis habita esse. Qua cum conjectura et naturali rerum conditione magnam partem suspicio Eichhornii [2]) de vita brevi Davidis congruit, quaque sola omnes illae difficultates removentur, quas admirabilissima ejus sagacitas quaerebat et inveniebat. Nam quomodo varietates ortae sint facile intelligendum est, et cum forte, quae unicuique prophetae propria fuerant, colligerentur, etiam relationes quamobrem sic transferrentur, satis probatur et intelligitur. Mirum in modum etiam traditio illa supra laudata [3]) τα του Δαβιδ, separatim memorat collecta; quae nequaquam Psalmi erant, cum hi nunquam inter propheticos libros fuerint, sed potius res gestae Davidis, quas Neem. collegit.

Circa tempora exilii Midrasch, commentatio, in nonnullas partes Annalium, adjecta quoque videtur. Quae opera recentiori tribuenda sunt aetati [4]). Quamobrem etiam auctor Regum ea non cognovit. Verba

---

1) 2 Chron. 16, 11. et 24 fin. — 2) Eichhorn Einl. III. Ueber die Quellen d. Könige. Berthold Einl. III. eod. cit. — 3) 2 Maccab. 2, 13. p. 30. — 4) Zunz Gottesdienstl. Vortrage d. Juden. 35.

enim mystica, quae ex eadem citantur [1], in libro Reg. non reperiuntur. Etiam vita Abijae, in qua eadem commentatio memoratur [2], in libro Reg. valde diversa est, ac in Chron. Nam alter alteri nullo verbo, et ne in nomine matris quidem [3] respondet; vitaque Abijae ipsa aliter narrata est. Nihil enim mali ab auctore Chron. de eodem refertur. Similis etiam diversitas in Rehabeami vita animadvertitur. Quamquam enim nonnulla verba hic in ambabus relationibus arcte concinunt cf II. Chron. **11, 2—5.** et I. Reg. **12, 22—24**, multaque alia reapse non dissident, tamen omnia, quae regem defendere et justificare possunt, permutata videmus. Sic in initio non adest formula illa, qua semper impii reges adnotantur, sed dicitur tantum Rehabeam Jehovam deseruisse, et **12, 12**, multa laudabilia fecisse et poenitentiam egisse; in calce quidem adest **12, 14**, notum illud de impiis judicium, „et fecit malum," sed adjectis quibusdam verbis mutatur, scilicet „quod non praeparavit cor suum in deum," non autem quod mala revera fecit; atque in citato ipso loco **12, 15** additur להתיחש [4] propter nobilem originem ejus, ut I. Chron. **7, 5.**, vel ut genealogiam nobilem assequeretur, ut **5, 1.** cf etiam l. l. Hieronymus et Joh. Clericus. Additamenta igitur adjecta, מדרש quod citat, et forsan nonnulla in Rehabeami vita auctor Chronic. habuit, et auctor Reg. non cognovit; quae ambos hos reges, et Rehab. et Abyam, de vitiis absolvebant et criminibus purgabant. Memorabile autem est, hos impios reges potissimum, suarum rerum auctores habuisse prophetas, alios vero sceleratos reges, scriptores vitarum prophetas non habere. Manasse enim et clare dicitur poenitentiam egisse, et Hosai non aequalis ei videtur fuisse, ut supra demonstravimus.

---

1) 2 Chron. 24, 27. — 2) 2 Chron. 13, 22. — 3) 2Chron. 13, 1., 11, 21. cf 1 Reg. 15, 2. — 4) Gesen. hoc declarat „in Genealogiis." Sed non intelligitur, quam ob causam res potissimum Rehabeami, cujus originem non nemo cognovit, in genealogiis scriptor designarit, nec quamobrem ל non ב poneretur.

In Manassis etiam vita alia relatio, ac quam auctor regum habet, ab auctore Chron. adhibita est. Nam casus ille, de captivo rege [1], quamvis gravis magnusque esset, in libro regum non memoratur. Hujus igitur relatio circa exilii tempora, inter editos libros Chron. et Reg., facta, archivis adjecta videtur.

In hac collectione diversis causis nonnulla in alium locum, quam qui decet, transposita sunt. Josaphatis vita, quae ante exilium archivis inerat Judaeorum [2], sic post exilium adjecta erat [3]) annalibus Israelitarum, et transcripta, quippe quae, ut videtur, pars sit etiam historiae Achabis 2 Chron. 18, oraculumque Jehu [4]) in Israelitas eorumque impietatem editum. — Manassis etiam vitae illa relatio laudata, quam auctor Regum non habet, de poenitentia regis in captivitate et de verbis prophetarum, archivis inerat Israelitarum. Causam hujusce transcriptionis conjecturis sibi ipsi pro libidine quisque fingat.

Hic erat status et haec forma Annalium post exilium, vel eo tempore, quo Chron. auctor eis usus erat. Atque ex iisdem in vulgus editi erant libri Chron., qui omnibus noti et in multorum manibus erant. Genealogiis igitur, quae placebant, conscriptis, a Saulis morte vel ab initio regni Davidis [5]) incipit oratio et historia in libris Chronic., et pergit usque aedificatum templum in libris Esdr. et Neem. Epistolae demum regum Persarum, una cum annalibus reservatae, et historiae aedificationis, in Esdra et Neem., simul adhibitae et divulgatae sunt. Hi libri olim cum libris Chron. cohaerebant et in unum volumen redacti erant, ut ultimi versus [6]) clare hoc et nunc demonstrant. Postea vero recentiori aetate, cum libri Chronic. ipsis libris regum supervacui facti videantur, Esdras et Neem. vero novi quid contineant in se, hi sejuncti ab illis etiam praepositi erant libris Chronicorum.

---

1) 2 Chron. 33, 11, 12. — 2) 2 Reg. 22, 46. — 3) 2 Chron. 20, 34. — 4) 2 Chron. 19, 2. 3. — 5) 1 Chron. 10 et 11. — 6) 2 Chron. 36, 22. 23. cf Esdr. 1, 1. 2.

D. Ceteri libri, qui servati erant, in vulgus editi magni etiam aestimabantur. Sic **collectio carminum**, si Josephi testimonio fidimus, vel in templo servabatur (ספר הישר). Ac **elegiae** illae, quas supra memoravimus, auctori Chronic. notae erant [1]. Nostri etiam libri, omnibus noti qui erant, ipsa vetustate ut monumenta praeteriti temporis, sacri haberi solebant. Canticum igitur canticorum, etiamsi ad usum non sanctum, quod tamen non opinor [2], confectum esset, sed forte oblivioni in primo exilio elapsum, tunc certe ipsa antiquitate haberi sanctum incipiebat. Piam enim opinionem posteriorum de eo non nemo novit, ut e. c. Rabi Aciba id vel sanctissimum putat [3].

2. *De literatura ipsa.*

Libros ipsos hac aetate confectos, qui servati sunt, pietas quaedam et pristinarum legum observantia, simulque mysteriorum plena Chaldaica scientia omnes insignes reddit, quod et de deperditis jure nobis augurari licet. Nam et de bonis et malis angelis sermo est, et ceremoniis magnum datum studium et majorum moribus. Atque cultui templi toto animo dediti erant. Hinc igitur libri Neem. et Esdr., qui aedificationem templi describant, orti sunt, et libri Chron. qui cultum maxime primi templi tractant. Praemissis enim genealogiis, tanquam introductione in totam historiam, Saulis mortem auctor memorat, quippe qui deum non quaesiverit [4], nec arcam foederis aestimaverit [5], et posthac regnum Davidis, cui prima cura erat ut templum aedificaret. Urbs enim primum narratur [6] occupata esse, in qua postea templum erat, honor deinde arcae foederis [7] habitus, et praeparatio templi [8]. Pestis orta, cujus causa sacrificatum est, locum ipsum, quo aedificatum est tem-

---

1) Utrum Josephus etiam epicedium illud adhuc habuerit nec ne, dijudicari non potest. De quo infra. — 2) cf Rosenmüller Morgenland IV. 183. — 3) Tract. Jadaim fine. — 4) 1 Chron. 10, 14. — 5) 1 Chron. 13, 3. — 6) 1 Chron. 11, 4—10. — 7) 1 Chron. 13, 1—14. — 8) 1 Chron. 14, 1 bis 15. 16. 17.

plum, sanctum fecit [1]) et dignum, quo Jehova adoraretur. Atque omnia deinde narrat, quae aut cultum sacerdotalem spectant [2]), aut festa celebrata. At quorsum tam multa de libris hisce? ut intelligatur, ex servatis **annalibus** modo ea sumta esse, quae templum primum et secundum tractarent, eorumque cultum. Eodemque modo ceremoniae ceterae magni aestimabantur, sicuti ex apocryphis evidenter apparet inprimis e Thobiat et Judith; et pia devotio institutionumque pristinarum veneratio ubiubi cognoscitur. Quod et de deperditis libris censendum est historicis.

Prophetiae vero hanc aetatem deficiebant. Donum enim propheticum et ingenium in Haggai et Maleache exstinctum est. Si quae igitur edita erant vaticinia, priscis auctoribus adjudicata sunt. De ceteris literaturae partibus nulla mentio aperta remansit; digna enim opera non habita sunt, quae memorarentur. Notationes vero colligamus dispersas.

Sermo Hebraicus paulatim evanuit, et Chaldaicus mox viguit, modo merus, modo cum Hebraismis mixtus. Et cum, post Alexandri M. tempora, ingenium Graecorum praevaluisset, regnumque modo Syr. modo Aegyp. viguisset in terra, graeca lingua etiam utebantur. In omnibus vero hisce linguis et voces et sermones majorum adhibebant, ita ut semper audiamus priscum narrandi modum reservatorum monumentorum, in alias linguas translatum, in hisce opusculis.

A. Libri historici.

Ut et apud ceteras gentes hujusce aetatis scripta chronica sunt [3]), sic more majorum, et apud Judaeos notatum invenimus [4]), „cetera autem verba Joannis, *ἰδοὺ ταῦτα γέγραπται ἐπὶ βίβλῳ ἡμερῶν ἀρχιερωσύνης αὐτοῦ ἀφ' οὗ ἐγενήθη ἀρχιερεὺς μετὰ τὸν πατέρα αὐτοῦ.* Libri igitur **rerum dierum pontificatus**, ut olim regum

---

1) 1 Chron. 22—22, 2. — 2) 2 Chron. 8, 14. 26, 18. 29, 32. etc. multa. — 3) Esdr. 4, 5. — 4) 1 Maccab. 14, 24.

scripti sunt. Alio in loco [1]), ἀναγραφαὶ καὶ ὑπομνηματισμοὶ οἱ κατὰ τὸν Νεεμίαν etiam citantur. — [Ex his libris historia sumta multis tractabatur compendiis, quae nunc non possidemus. Quae autem deinde memorabimus, cum post Maccab. tempora edita essent]. — Tobiat et Judith Chaldaeo sermone conscriptos Hieronym. testatur. Et ceteri etiam libri apocryp. mox Hebr. mox Chald. vel Graeca lingua conscripti sunt. — Mordachaeus quoque memoratur in nostro libro [2]) res suas, et in Apocryp. Esther. 12. c. eventum conjurationis consignasse. — Liber ille memorabilis de illis qui peccavere [3]), et ille in Graeco interprete Est. 9, 29., tantum in mente auctorum, falsa quadam lectione textus Hebr. seductorum, existebant. Alii etiam libri haud magnam ferunt prae se auctoritatem et fidem; quos igitur omitto.

B. Notationes nonnullae de ceteris libris.

Ceteri libri non speciatim memorantur, multos tamen nec eos contemnendos exstitisse constat. In prologo enim secundo Ecclesiastici, qui ut primus XXXVIIIto anno Ptolemaei Euerget. conscriptus est, auctor dicit „avus meus non veterum solum sententias collegit, sed et ipse multas alias adjecit, in libro quodam, quem reliquit.“ Etiam in altero multos memorat libros et inprimis sententiarum libros. Atque Ecclesiastes a studio multos scribendo libros lectorem dehortatus est, quasi taedium hujusce permagni ardoris eum cepisset, vanitatemque igitur, de multitudine librorum auctor quaestus [4]), demonstrare voluisset; cf Doederleinii sententiosa interpretatio.

Omnes vero libri hujusce aetatis, et servati e vetustate et confecti, in tres partes, e rerum statu, divisi sunt. Praeter duplicem enim collectionem per Esdr. et Neem., secundum quam certe et libri publice editi dividebantur, omnes libri, qui recens scripti, et leges et prophetias non tractant, in tertio ordine positi sunt.

---

1) 2 Maccab. 2, 13. — 2) Est. 9, 20. — 3) Esdr. III. 1, 24. — 4) Eccles 12, 12.

Itaque Jesus Syrach de avo gloriatus „ὁ πάππος μου Ἰησους επιπλειστον, δους ἑαυτον ἐις τε την του Νομου και των πρόφητων και των αλλων πατριων βιβλιων αναγνῶσιν,“ triplicem commemorat divisionem; huic autem libri tertii ordinis nondum sancti erant. Atque haec divisio non nostra erat, cum nostram ne Josephus quidem habuerit. Sed illi libri in templo servati, qui tum, propter nostros libros, qui jam scitu dignissima continebant, tum fortasse etiam dolosa interpolatione, incogniti et suspecti fuerant, mox in oblivionem inciderunt. Libri vero publice editi, fidei pleni et divinae simplicitatis, conquisiti et in alias versi sunt linguas, dum illi in templo magis magisque obliterabantur, et recens scripti quoque haud aestimabantur.

V.

Itaque cum postea, regno Antiochi atrocissimo, in Judaeos saevitum esset, templumque profanatum, rexque mores paternos antiquare studuisset, libri illi verisimiliter e templo ejecti et deleti sunt. Qua de clade, nihil quidem memoratur; sed cum post exilium primum libri illi collecti essent, Josephus vero post secundum, alios libros non habuerit ac nos, nullum video tempus quo interierint aptius quam hoc; quo facile ardore Syriaci regis et vexatione totius religionis, libri illi in templo semel modo servati, et jamjam haud magni habiti, funditus everti potuerint. Propterea etiam brevi post Maccab. tempora magnam illam catervam offendimus pseudepigrapheticorum librorum vetustis falsis auctoribus adjudicatorum. Deperditis enim antiquorum auctorum libris, alios edidere falsis nominibus, cum falsitas nec demonstrari nec sciri potuisset. Quod jam Athanasius dicit [1]) „multos libros edidere falsis nominibus, ut seducerent pios inscios.“ Atque quod primum dolo fiebat, mos deinde erat. In mente enim vetustorum

1) Athan. Ed. Patav. 1, 768.

auctorum, se suos libros scripsisse putabant, quibus eos adjudicabant. Quare et angelis et Adae et Noe et Praeadamitis libri suppositi sunt.]

1. *De nova collectione.*

Libri autem publice editi in multorum manibus fuerant, nec tam facile potuerant deleri. Sic e fabula illa, de vetita lectione Pentateuchi, ejusque loco mandata cognitione prophetarum, concludendum est, in quavis urbe libros illos conscriptos tunc esse. Itaque cum brevi posthac templum ejusque cultus restitueretur et in pristinum statum hic reduceretur, more majorum, omnes libri e vetustissimis temporibus servati, nonnullique recens facti, in templo collecti custodiebantur; e quo, populo a Romanis perdomito, dono dati Josepho erant [1]). Libri igitur hi tempus tantum tractant ante Artaxerxis mortem, vel in haec tempora cadunt. Qui recens scripti et ad aetatem recentiorem spectant haud magni ab Judaeis in Palaestina aestimabantur, quod Josephus jam adnotat [2]). Ἀπὸ δ' Ἀρταξέρξου μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς γέγραπται μὲν ἕκαστα πίστεως δ' οὐχ ὁμοίως ἠξίωται τοῖς πρὸ αὐτῶν, Judaei vero extra Palaestinam omnes libros publicae auctoritatis servabant; quod ex apocryphis notum est.

Vetusta divisio, alia ac nunc est, huic etiam aetati manebat. Libri Moysis enim, praeponderantibus legibus, vel quia magnam partem leges continere visi sunt, lex nominatur; libri omnes historici et prophetarum una in secundum ordinem redacti sunt; quattuor tantum libri, qui nec civitatem nec divinam providentiam tangebant, in tertia classe positi sunt [3]). Quae classis nunc jam, quoniam vetusta tantum documenta in se continebat, sacra habebatur, et sanctior ceteris libris [ἅγιος]. Zunzius quidem putat [4]) nostram plane divisionem jam huic aetati propriam fuisse; quod Jonathan [1]) nullum Thargum in Dibre Hajamim, Esdram, Neemiam et

---

1) Josephi vita fine. — 2) cont. Apion. 1, 8. — 3) l. l. — 4) Vorträge der Juden 19.

Danielem ediderit, cum omnes libros secundi ordinis vertisset in Chald. sermonem. Sed cum ne tum quidem, cum posthac revera Thargum in Dibre Hájamim editum erat, ullum in Esdram et Danielem editum esset, contraque vero liber Est. et Ruth, ut opinor, una cum ceteris libris secundi ordinis translati essent, nequaquam causa videtur posita esse in diversitate ordinum, sed potius in libris ipsis. Esdra enim [semper una cum Neem.] et Daniel, qui jam magnam partem chaldaico sermone conscripti sunt, et Dibre Hajamim, qui eadem, quae libri regum, in se continebant, digni non visi sunt, qui transferrentur. Propterea ne tum quidem, cum Thargum in Dibre Hajamim facere alii auctori posthac placuit, ullum Thargum in Esdr. et Daniel. factum est. Etiam non verisimile est, Josephum notam divisionem omisisse, et pro Romanis aliam inusitatam introducere conatum esse. Nulla enim causa apparet, cur hoc scribere statuerit. Praeterea etiam nostra divisio interna dignitate librorum nititur; libri enim tertiae classis spiritu sancto, non divino prophetico, scripti putabantur. At nec Josephus nec Philo ullam differentiam inter libros ipsos agnoscunt [2], sed omnes pariter sanctos putant. Quattuor igitur libri tantum, Psalmi Proverb. Cant. et Eccles. in tertio ordine tunc relati sunt, non propter dignitatem internam, sed quia civitatem haud spectant.

2. *De libris hac aetate confectis.*

Libri hac aetate confecti Graeco sermone et stylo utuntur. Pauci etiam illi, qui forte e vetustis libris, Chaldaea mixta cum Hebraismis lingua conscripti erant, Graecorum illa mente, quae auctoribus orientalibus propria esse solet, tractati erant, ita ut non magis hic de eis sit disserendum, quam de operibus Hebraeis nostrorum Judaeorum, qui etiam non mera utuntur proprietate. Attamen quoniam omnes, ut diximus, suis operibus nomina vetustorum

---

1) Jonath. enim diu ante Joseph. vixerat. — 2) Eichhorn: Ueber d. Canon in der Einleitung I. et reiterata in ejus Repertor. et in ejus Bibliotheca.

auctorum affigere solebant, et hac re nunc error nunc dolus oriebatur, illos brevi hic, qui ipsius loci causa, quo citantur, memorabiles facti, vel alio quodam modo digni memoratu visi sunt, enumerabimus ipso ordine, quo ceteros tractavimus.

A. Jason 130 a. Chr. quinque libros, graeco sermone, Maccab. edidit [1]), et Judaeus Essenus bellum descripsit Maccab.[2]); quam descriptionem Sixtus Senensis praetendit [3]), Lugdini se in bibliotheca vidisse. — Hieronymus tradit [4]) se vidisse librum primum Maccab. Hebraicum [cui initium Sarbeth Sarbane el], et arabico libro secundo Maccab. annotatur, 16 fine „usque hoc ex hebraeo sermone liber versus est.“ Qui liber Hebr. citatus nequaquam illa Chronica pontificatus sunt, quae supra citavimus. — Liber de Egregoris notus est, cujus fragmenta nonnulla esxstant graece scripta apud Tertul. [5]) et Syncellum, et qui forsitan pars historica erat libri Henoch, de quo paulo post — Lamech hanc historiam continuavit et deinde Noe decem libros addidit [6]). — Etiam Setho a Chron. Saracen. quinquaginta libri tribuuntur [7]).

B. Prophetici libri memorantur sequentes. — Liber Henoch [8]), qui dicitur vaticinatus esse et e cujus libro nonnulla recitantur. Tertul. putat librum vel canonicum fuisse, sed ab Judaeis rejectum „quoniam Jesum sapit,“ et idem Augustin.[9]). Contra vero hic idem alio loco [10]) contendit eum non canonicum fuisse. Quod et Hieronym. adnotat [11]), qui vel sententiam refert, epistolam Judae propter eundem citatnm librnm rejiciendnm esse. Atque si omnia, quae et

---

1) 2 Maccab. 2, 23, 24. — 2) 2, 14. — 3) Bibl. Hebr. 39. — 4) Praef. Reg. Euseb. Hist. Evang. 6, 25. — 5) De muliebri habitu cf. Sgamb. Arch. hoc tit. — 6) Berosus libr. rer. Chald. apud Alexand. polyhist. — 7) Sixt. Senens. bibl. Seth. — 8) Epist. Jud. Apost. 14, 15. — 9) De civitat. dei 18, 33. — 10) 23, 53. cf. Sixtus. — 11) De script. Eccles. Judas.

Origines [1]) et auctor testamenti XII patriarch. et Joann. Annius in comment. Beros. [2]) ex eodem memorant, comparamus et colligimus, videtur hic liber minime in se continuisse, tractata de stellis, de descensu filiorum dei ad filias hominum, de gigantibus, et de extremo Judicio erga impios. Et translatus etiam erat in diversas linguas; Augustin. enim dicit se latinum eum vidisse, et Syncellus Graecum, et Sohari auctor, Hebr. citat [3]). De illo libro, qui nuper a Bruce inventus est, cf. Notice du libre d'Enoch par Sylvestre de Sacy [4]). — Apocalypsis vel assumtio Abrahami ab Haereticis diversis sacra habita est, sicuti Scala Jacobi ab Hebionitis. — Assumtio Moysis ab Jud. apost. excerpta est, cf. Georg. Syncel.[5]) — Parva Genesis [Ἰωβηλεια]. Hieronym. et Epiphanius eam Hebraeam legere. Etiam Josephus videtur nonnullas fabellas ex eodem hausisse, sicuti illam de lingua animalium [6]) et nonnullas explanationes vitae Moysis [7]). — Hermas pastor citat librum Eldad et Medad, qui vaticinati sunt coram populo in deserto; Athanasius etiam librum qnendam hujusce nominis memorat [8]). — In Mathaeo Evang. 27. 9. legitur τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφητοῦ Ἰερεμίου, quod tamen in Jeremia non invenitur. Nam l. c, 32, 9 ne in numero nummorum quidem respondet citato versui, et Zachar, 11, 2, qui substituitur, et nomine prophetae et re ipsa non huc quadrat. Hieronym. igitur refert „Nazarenos quendam Jerem. apocryp. librum habuisse," e quo hic locus citatur. Etiam Epiphanius [9]) nonnulla de Jerem. tradit, quae ex eodem libro videtur hausisse. Sic dicitur etiam locus ille, Pauli 5, 14. ex eodem esse. — Josephus nobis tra-

---

1) Homil. Num. 28. — 2) Sixt. Senens. Henoch. — 3) Sgambat. Archiv. eod. tit. Aethiopicus qui exstat satis notus est. — 4) Eichhorn. Bibliot. 1, 533. — 5) Sgamb. Archiv. 220. — 6) Antiquit. I. 1, 4. — 7) Beleucht. des Canon. 128. — 8) Synopsis fine. Gelasius vero eum non citat. — 9) Vita prophet. Jerem.

dit [1]) οὐ μόνον δ' οὗτος [Jeremia] προεθέσπισε ταῦτα τοῖς ὄχλοις ἀλλὰ καὶ ὁ προφήτης Ιεζεκιηλος ὃς πρῶτος [2]) περὶ τουτῶν δύο βίβλια ἔγραψε. De duobus his libris multum certatum est. Nam quamquam in Talmud invenimus [3]), ipsum librum Ezechielis e canonicis libris nonnullos removere voluisse, non tamen demonstrari potest, revera etiam tale quid factum esse. Josephus igitur, qui omnes libros e templo accepit, nullos alios habuisse putandus est canonicos libros, ac nos. Quamobrem Oeder putat [4]), ultima undecim capita, quae revera maxime a ceteris abhorrent, separata olim exstitisse; quae capita Josephus existimavit secundum esse librum. Sed his in capitibus nullum video vestigium eorum, quae Josephus memorat, et cum Corrodi nonnulla capita priorum his addere, maxime arbitrarium est, cum nulla appareat differentia, propter quam putandum esset, separata olim ea exstitisse, nec ullum etiam hujus rei indicium inveniatur. Haesitare igitur magis hac in re tam incerta et tam dubitata nos decet, quam dijudicare et discernere. Indubitatum autem semper est et certum, etiamsi Josephus nullum alium librum habuisset canonicum, ac nos, Apocryp. Ezechielis exstitisse. Athanasius enim et Josephus in ὑπομνήματι eum citant; cf. Tertul. et Clemens Alexand. [5]). — Vaticinium Abacucis filii Jesu et Zophoniae analepsis, vers. DC ab Athan. citantur. cf. Epiph. In hoc oraculo nonnulla, quae apud Clem. Alexandr. [6]) inveniuntur, videntur fuisse, cf. Sgambat Archiv. — Assumtio Zachariae patris Johannis fabulam continebat de visione asini. — Vaticinium

---

1) Antiquit. X, 5. 1. — 2) Nonnulli quidem ὃς πρῶτος ad Jerem. referunt, qui ante Ezechielem scripsit duos libros, cum primus a rege combustus esset. Sed jure jam Corrodi huic sententiae opposuit, Josephum qui clare scribere et solitus sit et debuerit, nullo modo sic scribere potuisse, cum de mille, ne unus quidem, nesciens quae nos ad id ducant, hunc sensum sic exprimat et elliciat. — 3) Thalmud. Tract. Sal. — 4) cf. Beleucht. des Canon. 65. — 5) libri de paedag. I, 10. etc. — 6) Strom. 5. 515.

Danielis ab Athanas. citatur; et fabula de belo inter canonicos citatur ab eodem. — Multos alios libros, ut apocalypsis Adami, testamentum lucis etc. omitto.

C. Alii libri etiam viris tribuuntur vetustissimi temporis. — Janes et Jambres librum hujusce nominis feruntur edidisse [1]. — Fascinationes et incantationes, quarum vim Josephus, ut dicit, expertus erat, Salomoni tribuuntur, et videntur hac aetate confectae esse. — Aenigmata Salomonis Josephus [2] et Eusebius memorant [Sur pro Tyr]. — Epicedium Jeremiae Josephus etiam memorat [3] quod de Josia editum vidimus. De quo libro, ut de libro Ezechielis, etiam dubitatur. Alii enim, ut librum Ezechielis, ita et eum putant postea e canonicis ejectum esse. Quod nequaquam numero librorum dato ab Josepho ipso [4] contrarium est, cum ipse, ut libros Samuelis, etiam Ezechielis duos libros pro uno habere potuerit, et Epicedium Jerem. una in aliis hujusce prophetae libris, ut Threnos, numerare. Quum vero aliis non item placeat canonicos, [tales enim Josephus videtur ambos habuisse] rejectos esse, Epicedium Jerem. contra Josephi auctoritatem, licet propter argumentum haud bene quadret, autumant in Threnos referrendum esse, quos Josephus epicedium de Josia habuerit. Equidem etiam hic discernere non ausim. — Alios multos libros ut Danielis et Ezechielis poetae omitto.

Nonnulli horum librorum, praesertim qui a singulis sectis, [quarum hac aetate magna copia erat [5]], sacri habebantur, in nonnullis voluminibus, libris adjecti sunt canonicis. Quamobrem etiam vel ab apostolis citantur, quibus certe negotium erat, ad auctoritatem canonicorum librorum tantum revocandi; et praeter eosdem postea etiam ipsos canonicos nonnul-

2) Origir. Tract. 35. in Matth. 2. Timot. 3, 8. Euseb. praep. Evang. lib. 9. cf. Herbelots Artic. Mossa. — 2) Cont. Apion. 1. — 3) Joseph. Antiq. 10. fine. — 4) Cont. Apion. 1, 8. — 5) Joseph. bellum Judaeum 2. Antiquit. 12, 9. Arabic. Maccab. 2, 25.

los suspectos multi habuerunt. In templo autem tantum illi libri, qui revera ex antiquitate remotissima supererant, magna cura custoditi et magni habiti sunt.

Itaque templo everso, ne forte dolo libri permutarentur, cum nullum superesset veritatis judicium, vetiti erant, et apud patres ecclesiasticos et in Thalmud[1]), libri extracanonici legi, ut eo interdicto sedulo se ab eis abstinerent, et tantum libros sacros cognoscerent. Sed cum dijudicatio perdifficilis esset, nec ab omnibus libri sacri cogniti essent, indices et catalogi et in Thalmud et apud patres, dati et facti sunt. Qui, ut exspectandum erat, de paucis inter se dissentiebant libris, ut de Esther et Baruch etc.

Quare libri illi, qui non designati erant in his indicibus, lege vetiti cognosci, mox in tantam incidebant obscuritatem, ut ne nomina quidem omnia eorum nobis supersint, et eorum memoria tota evanuerit.

Restat ut nunc obiter pauca de nostra divisione disseramus, de qua quidem nihil certi habemus, e libris ipsis tamen eam comperimus. Triplex enim divisio etiam sequenti aetati manebat. Sed quoniam libri jam non ut documenta forte servata, sed potius sacri et a deo hominibus solatio dati habebantur, ad sanctitatis gradum et internam dignitatem etiam distributi sunt. Omnes igitur ii, qui non m e r a lingua Hebraica scripti erant, vel c u l t u m solum tractant t e m p l i, vel ab auctoribus ipsis non tam sacri putabantur, ut Jehovae nomen, quod sacrosanctum erat [2]), in eis adhiberetur, e secundo ordine remoti sunt in tertium ordinem.

Canticis et proverbiis et hymnis, qui olim in tertia classe erant, jam adjiciebantur liber Esdrae cum libro Neemiae, quia partim Chaldaico sermone conscripti erant, Dibre Hajamim, quia magnam partem jam in li-

---

1) Tract. Sanhed. 90, 1. — 2) l. l. Quin etiam vetitum erat id pronuntiari, gravi poena imposita.

bris continentur regum; omnes etiam hi libri ad cultum tantum spectant prioris et secundi templi et recentiori editi erant aetate. Liber Ruth et Hiob civitatem non tangunt. Liber Esther et Danielis et etiam Hiob [1]) digni ab auctore ipso habiti esse non videntur, qui Jehovae nomen in se reciperent. Prior enim tam saepe Achasverum et ejus regnum nuncupat, nunquam autem dei nomen, alter quamquam dei nomen memorat, Jehovae tamen nomen nusquam in visionibus [2]) reperitur. Praeterea etiam liber Esther et Esdrae et Neemiae tempora post exilium tractant.

Quare haec classis etiam non tam sancta, quam priores, habita, nec tam altum sanctitatis gradum obtinere visa est. Propterea spiritu quidem sancto putantur libri esse scripti [3]) non tamen spiritu prophetico.

---

1) Modo enim in introductione historica et in versibus illis, qui loquentes personas inducunt, Jehovae nomen invenitur, non autem in libro ipso Hiobi. — 2) In previbus vero ejus invenitur. — 3) Matthaeus 22, 43. Lucas 24, 44.

V I T A.

Anno XII hujus saeculi Inovraclavii natus sum. Prima elementa literarum, inprimis etiam Thalmudis, praeceptor domesticus Brombergii, ubi parentes deinde habitabant, me docuit. Annum agens decimum quintum Berolinum me contuli, a patre carissimo destinatus, ut literis veteris fidei studerem. Quamobrem cum lectiones thalmudicas virorum hujusce disciplinae peritorum, ut frequentarem mihi impositum esset, gymnasium adire haud potui, sed privata imbutus institutione literis pro viribus operam navavi. Maturitatem sic, qua mihi opus erat, ut civium numero academicorum adscriberer, adepto mihi, mater acerbissimo obiit funere. Qua calamitate maxime quidem afflictus eram; attamen hortante patre, ut propositum persequerer, eodem tempore, sedem Berolinensem literariam, rectore *Marheineke* petii, testimonium maturitatis nactus, et inde ab hoc tempore imprimis linguis semiticis studui.

Ita per septem semestris frequentavi scholas philologicas, *Boekhii, Boppii, Lachmanii, Wilkenii, Heysii, Droysenii, Petermanii, Seymourii;* philosophicas, *Steffenii, Henningii, Micheleti* et *Beneckii;* et theologicas, *Straussii* et *Benarii.* Historiam, geographiam, physicam, mathematicen et jus gentium *Raumer, Ritter, Mitscherlich, Ideler* et *Gans* me docuere. His omnibus pro summis in me meritis, almam hanc relicturus literarum sedem maximas ago gratias; ac eorum memoriam nunquam tempus delebit.



THESES DEFENDENDÆ.

1. *Canonem nunquam conclusum esse, contendo, sed secundum rationem literarum apud Hebraeos ortum et dein sancitum ipsa antiquitate librorum.*

2. *Josuae liber, ut nunc axstat, unum tantum auctorem habet.*

3. *Humii systema, si ad vivum reseces, ad Kantii theoriam ducit.*

4. *Linguae populorum, qui ad septentrionem spectant, longiores habent formationes, quam qui ad meridiem habitant.*

5. *Libertas absoluta in natura rerum non exstat.*

